



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis  
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris  
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

**Bernardus <Claraevallensis>**

LXVII. De duplicibus legis præceptis moralibus & figuralibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39254**

5. Peccat Ex-  
cusatio sui &  
accus. uxoris;  
huic. opp. 5.  
beat.

k Gen. 3. b  
l Matt. 5. a

6. Peccat Re-  
jectio culpe in  
serpentem. huic  
opp. 6. beat.

m Gen. 3. b\*  
n Plal. 140. a  
o Matt. 5. a

7. Pecc. Ma-  
lorum in bonos  
adiu. huic opp.  
7. beat.

p Gen. 4. b  
q Matt. 5. a  
r Ibidem.

s. Beat. op-  
posita Persecu-  
ioni malorum.

culpam retorfit in uxorem, cum ait <sup>k</sup>: *Mulier quam dedisti mihi sociam, de-  
dit mihi de ligno, & comedi.* Primo quidem crudelis in se, qui peccatū suum  
excusavit: secundo in uxorem quam accusavit. Et utique satis sumpta est  
digna de peccato vindicta, quando eam accusavit, cuius amore peccavit.  
Contra hoc peccatum dictum est <sup>l</sup>: *Beati misericordes, quoniam ipsi mise-  
ricordiam consequentur.*

Sextum peccatum fecit Eva, quæ cum increparetur à Domino cur  
hoc fecisset, respondit ei <sup>m</sup>: *Serpens decepit me, & comedi.* Sic declinavit  
& ipsa in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis <sup>n</sup>, refun-  
dens culpam in serpentem, quasi immunis à crimine, cum nil obfuisset sug-  
gestio serpentis, si illa negasset assensum propriæ voluntatis: & fortè præ-  
cessit in ea aliquis motus superbiæ, unde seduci meruit à serpente. Contra  
quod dictum est <sup>o</sup>: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Septi-  
mum peccatum factum est extra paradysum, quando Cain confurrexit ad-  
versus Abel fratrem suum, & interfecit eum <sup>p</sup>. Ex eo jam tempore inve-  
teratum est, ut mali iusurgant in bonos, & opprimant eos. Huius peccati  
remedium est illud <sup>q</sup>: *Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur.* Quod  
si ab infestatione cessare noluerint iniqui, patienter tolerant eos iusti audi-  
entes consolationem quæ sequitur, & dicit <sup>r</sup>: *Beati qui persecutionem pa-  
tiantur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ecce quam  
necessarius fuit adventus Christi, qui carnem subiceret spiritui, hominem  
pacificaret sibi, Deum reconciliaret homini.

#### SERMO LXVII.

De duplicibus Legis præceptis, moralibus, & figuratibus.

t Ioan. 1. b\*  
Duplicita vet.  
Legis præcepta:  
moralia, &  
figurativa.

u Matt. 19. c  
v Rom. 13. c  
w Exod. 20. a  
x Marc. 7. c  
y Ezech. 20.  
z \*

aa Psal. 68. a  
ab Psal. 17. d  
ac illa iam obser-  
vantur lite-  
raliter per gra-  
tiam Christi:

**L** Ex per Moysen data est, gratia & veritas per IESVM Christum facta est <sup>a</sup>.  
Duplex in legē veteri præceptorum genus invenio. Sunt enim mora-  
lia quædam, ut est: *Non concupisces, non adulterabis, honora patrem tuum* b,  
& his similia. Sunt etiam figurativa & umbratilia quædam, ut est tauro-  
rum immolatio, & sanguis hircorum. Veruntamen carnalis ille populus,  
nec illa implere poterat, ne in his obtinere salutem. Unde & Salvator in  
Evangelio <sup>c</sup>, legis præcepta impropereat Pharisæis, quod propter traditio-  
nes suas irrita facerent Dei mandata, ipsa sine dubio in quibus esset ædifi-  
catio morum. Nam de cæteris ipse loquitur per Prophetam <sup>d</sup>: *Dedi eis  
præcepta non bona: ipsa planè in quibus esset umbra futurorum.* Quæ enim  
consequentia rationis, ut homine peccante aries mulctaretur, & diceret  
cum Propheta <sup>e</sup>: *Quæ non rapui, tunc exsolvebam?* Merito sanè non bona  
præcepta populus non bonus accepit, dicente Propheta <sup>f</sup>: *Cum sancto san-  
ctus eris, & cum perverso perverteris.* Noverat enim Iudæorum corda carna-  
lia, unde & carnalia eis tradidit sacramenta, quæ non possent juxta con-  
scientiam

scientiam perfectum facere servientem in iustitiis carnis. Venit proinde plenus gratia & veritate Christus Dominus noster, ut ex hoc jam moralia quidem impleantur per gratiam: quæ verò umbratilia & mystica fuerant, revelata veritate deinceps non ad literam observentur, sed secundum spiritum spiritualiter intelligantur. Propterea jam non aries vel taurus homine peccante mactatur, sed viva corporis hostia, rationale & acceptabile sacrificium in jeuniis & laboribus veniam meretur pariter & gratiam.

*Hæc non nisi spiritualiter.*

S E R M O LXVIII.

De compositione hominis exterioris coram hominibus, & interioris coram DEO.

**S**ic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei a. Minister Christi sic debet conversari, ut ex moribus exterioris hominis qui videtur, existimetur compositio interioris animi qui non videtur, ne vel ab alio, vel à seipso possit judicari, sed dicat cum eodem Apostolo b: *Mibi pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die: sed neque me ipsum judico. Qui autem judicat me, Dominus est.* In quibus verbis notanda sunt tria iudicia, Humanum, suum cuiusque proprium, divinum. Et humanum quidem potest judicare de rebus exterioribus, quæ sensibus corporis percipiuntur: de interioribus verò non potest. Hinc enim scriptum est c: *Quis enim scit hominum qua sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in eo est?* Quapropter de his quæ sunt in homine, potest judicare spiritus hominis qui in ipso est. Longè verò præstantius de his ipsis judicat Deus, cuius necdum se fatetur Apostolus evasisse iudicium, qui tamen jam & humanum transcendisset & proprium. Porro humanum contemnebat qui dicebat d: *Mibi autem pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Sed neq; proprium timebat, qui dicebat e: *Sed neque me ipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum.* Solum ergo restabat divinum, de quo ait f: *Qui autem judicat me, Dominus est.* Debet tamen quisque quantum potest irreprehensibilem se exhibere, primum quidem coram Deo, sed deinde coram hominibus. Hoc nempe est quod alibi loquitur idem Apostolus dicens g: *Providentes bona non tantum coram Deo, sed coram hominibus.*

a 1. Cor. 4. a

\*b Ibidem.

*Tria iudicia, humanum, proprium cuiusque, divinum.*

c 1. Cor. 2. c

d 1. Cor. 4. a

e Ibidem.

f Ibidem.

\*g 1. Cor. 8. d

Et notandum, quod tribus modis providentur bona coram hominibus, id est, habitu, actione, sermone. Habitu, ne sit notabilis: actione, ne sit reprehensibilis: sermone, ne sit contemptibilis. Tribus etiam modis coram Deo, cogitatione, affectione, intentione. Nam & cogitatio debet esse sancta, unde scriptum est: *Cogitatio sancta servabit te; & affectio pura, & intentio recta.* Sunt autem tria ista, id est cogitatio, affectio, intentio in anima: sed in ea quoque propriis singula locis distincta videntur. Nam cogitatio in memoria, affectio in voluntate, intentio in ratione consistit.

*Tribus modis providentur bona coram hominibus: eisdem coram Deo, id est, Cogitatione, affectione, intentione.*